









LAVRETVM
SEM PER

LAVRETVM

SIVE CARMINA

IN LAVDEM

LAVRENTII MEDICIS

EDITIO ALTERA





FLORENTIAE TYPIS MAGHERIANIS

MDCCCXX.

Clemens Bancotius Fighinensis ad Magnificum Laurentium Medicem.

Laurens, delitium orbis, et Leonis
Lydi nobilitas, et omne robur,
Et felix Medicum decus parentum,
Fortuna, ingenio, fide refulgens,
Qui solus lepidos foves poetas,
En sume harmonicum tui Severi
Muuus corde hilari, et manu benigna.
Non auro properat micante fultum,
Vt par est, animo tamen libenti,
Veris laudibus et tuis refertum.
Sume et nos etiam, tuisque semper
Defendat titulis benigna Laurus,
Solo praesidio tuo beatos.

LECTORI BENEVOLO

DOMINICVS MORENI

Nullus quidem est tam indoctus, expersque rerum, ut nobilissimum antiquae Mediceae Familiae nomen, summorumque in ea virorum in omni genere laudis praestantissimam gloriam ignoret. Et re quidem vera ante omnium oculos sunt, crebrisque sermonibus usurpantur maxima opera, multaque, et magna in suos, in patriam, et in omne fere genus hominum merita, Cosmae praesertim Senioris, eiusque nepotis Laurentii cognomento Magnifici, filiique huius Leonis hoc nomine Pontificis X. ne singulos eius gentis praeclarissimos homines numeremus. Quid mirum igitur, si nulla aetas de eorum laudibus conticuerit, nec solum nostris, sed exterarum gentium quoque literis, atque linguis, illustria

ipsorum facta fuerint celebrata? Id sane abundantissime praestitit paucis ab hinc annis celebratissimus vir, doctissimusque, Guilielmus Roscoe Liverpoolensis. Is enim Laurentii patris, filiique huius Leonis Vitas adeo accurate, eleganter, ordinateque conscripsit, mira eruditione, monumentorumque copia refertas, ut literatis omnibus probatissimae fuerint. Tanta equidem delectatione eas perlegentes nos fuimus affecti, ut de earum auctore palam laetari, eique publice gratulari voluerimus, *Commentarium de Bello Senensi* a Petro Angelio Bargaeo conscriptum, notulisque nostris illustratum, dum primo typis tradebamus, ipsi inscio, et inconsulto inscribentes. Hanc tamen animi nostri significationem, observantiaeque testimonium gratum sibi fuisse testatus est, missa nobis peramanter epistola, quam in *Vol.* III. *pag.* 185. Historiae nostrae Basilicae Laurentianae retulimus.

At rogabis, Lector, quorsum tandem ista? Cum omnes vel accuratos Vitae Laurentii scriptores certum sepulcri eius locum latere vidissemus, nobis vero post adhibitam diligentiam ille tandem innotuisset, talem statim rem publicis literis mandare statuimus, arrepta occasione iteratae huius editionis *Laureti* (1) a Severo Minervio in Laurentii Medicis Secundi, qui fuit Vrbini Dux, laudem congesti. Quod revera Clarissimus Angelus Fabronius olim Basilicae Laurentianae Antistes meritissimus Vitaeque Magnifici Laurentii scriptor eximius, huius sepulcrum ignoraret, his verbis (2) satis ostendit: *Ne sepulcri quidem monumentum illi* (Lau-

(1) Libellus iste, quem Severus Minervius a *Lauró Lauretum ex variis Musarum Lucis congestum*, ad *Laurentium* alludens vocavit, prodiit primum apud Iunctas circa annum 1516. ut videre est apud Bandinium *Part.* II. *pag.* 264. *Annal. Typograph. Iunctarum.* Etsi autem primae laudes sint in Laurentium Secundum, obiter tamen celebrantur Laurentius primus, avus eius, Leo X. patruus, aliique Mediceae Familiae clarissimi viri.

(2) Tom. I. pag. 214. praedictae Vitae.

rentio) *positum fuit, conditumque cadaver creditur ad eam partem Sacrarii Laurentiani, in qua vestes, atque omne instrumentum sacrificale sumunt sacra facturi*. Hoc quidem in loco exstant adhuc sepulcra, unum pro masculis, alterum pro feminis cum stemmate Familiae Mediceae marmore sculpto, in quibus illorum corpora ante adeptum Principatum sepeliebantur. Idem quoque Roscoe praelaudatus in huiusmodi ignoratione versatur, ut videre est in *Tom.* IV. *pag.* 74. *Edit. Pisan.* Vitae Laurentii: en eius verba: *Il luogo, ove furono racchiuse le sue Ceneri non è distinto da tomba, o da iscrizione, ma il Viaggiatore, che, nutrito nell' amore delle Lettere, e delle Arti, si aggira fra gli splendidi Monumenti inalzati ai capi di questa illustre Famiglia per opera di Michelagnolo, e dei sublimi suoi competitori, mentre cerca invano, ove sia scolpito il nome di Lorenzo, alla vista però*

di tutti quelli si risovverrà ben tosto della gloria di esso. Quod revera corpus eius in Laurentiana Basilica conditum fuerit, omnes patriae nostrae scriptores affirmant, sed nullus, praeter instabilem praelaudati Angeli Fabronii coniecturam, certam eius Templi partem designat. Omnium primus, ni fallimur, hoc praestitit Parides de Grassis, Pisauriensis Episcopus, et a Caeremoniis Leonis X. Sum. Pont. in suo *Diario* ms. cuius nos quod ad narrationem magnifici eius Pontificis Florentiam ingressus, et in ea mansionis pertinet, edidimus An. MDCCXCIII. notisque illustravimus. Ipse igitur ait, quod celebratis a Leone in prima Dominica Adventus An. MDXIII. solemniter Pontificalibus in ipsa Aede, quam in suo adventu, ut ipsius utar Paridis verbis, *pro Cappella sua Pontificia deputavit in omnibus*, ad Sacrarium, ut peccatorum expiationem, ac aeternam requiem Laurentio Patri suo ibi sepul-

to precibus a Deo impetraret, accessit: haec sunt illius verba: *Tunc Papa ingressus est Sacristiam, ubi visitavit sepulcrum Patris sui, et oravit genuflexus.* Ex quo erroris arguitur Inscriptio in Templi nostri Coemeterio prope sepulcrum Cosmi PP. posita, in qua Laurentii cineres ibi acervatim repositas fuisse asseritur una cum Hippolyto de Medicis S. R. E. Cardinali, quem Romae in Aede S. Laurentii in Damaso sepultum fuisse certa monumenta testantur. At huiusmodi disceptationibus relictis, exploratissima de praesenti Laurentii sepulcro testimonia proferamus. Augustinus Lapinius Sacerdos Florentinus, Aedisque Metropolitanae Beneficiarius, in suo *Diario* ms. haec ad rem nostram luculenter enarrat. *A dì* 3. *di Giugno* 1559. *in Sabato dopo Vespro si traslatorno i Corpi del Magnifico Lorenzo, et di Giuliano, amendua di Casa Medici, quali erano stati di molti anni sepolti in Sa-*

grestia vecchia di S. Lorenzo, et in questo detto dì si levorno di detta Sagrestia, et si messano in Sagrestia nuova in un Cassone grande, che vi è nell' entrare a man sinistra, di marmo (hic longe a veritate Lapinius aberrat, nam sepulcrum hoc, quod vocat *Cassone grande* semper fuit, et adhuc est in eodem Sacrario veteri): *il qual corpo di Lorenzo era tutto intero con il naso, et altre membra ogni cosa intera, ma secca colla sua veste di panno bianco intera, solamente in pochi luoghi intignata, con il suo berrettino in testa di scarlatto, che pareva nuovo, et si riconobbe subito per poco, che haveva perso di sua effigie, che fu cosa quasi da non la credere, essendo stato sepolto circa a* 75. *anni. Quello di Giuliano era quasi tutto consumato, et stransfigurato. Veddesi la ferita, che ebbe in su la testa in S. Reparata, quando fu il caso de' Pazzi nel* 1478. *d' Aprile alli* 26. *che era tagliato l' osso, per la*

qual ferita si morì, e Lorenzo detto, suo carnale fratello fu ferito nel collo, ma ebbe poco male, e si salvò fuggendo in Sagrestia nuova di detta Chiesa, cioè di S. Maria del Fiore, o S. Reparata, che è una cosa medesima. Idem iisdem fere verbis in suo ms. *Diario* affirmat Franciscus Rondinellius (1): *A dì 3. di Giugno del* 1567. (2) *in Sabato*, ait, *si viddero i Corpi di Lorenzo il Magnifico, e di Giuliano de' Medici stati molti anni in Sagrestia vecchia*

(1) Hoc Rondinellii testimonium relatum prius fuit in *Nota* 3. *pag.* 117. Operis cui titulus: *Angeli Politiani V. CL. Coniurationis Pactianae Anni* 1478. *Commentarium Documentis, Figuris, Notis nunc primum inlustratum cura et studio Ioannis Adimari ex Marchionibus Bumbae, Neapoli An.* 1769. Corrigendus autem est auctor huius *Notae*, asserens, porphyreticum Sarcophagum, in quo bina corpora etiam nunc iacent, opus esse anaglypticum celeberrimi Mich. Ang. Bonarrotii, est enim Andreae Verrocchii.

(2) Rondinellius concordat hac in re cum Lapinio in mense, in die, et in nomine eiusdem diei, sed non in anno. Debuit tamen esse annus 1559. quia in hoc reapse dies 3. Iunii fuit dies Saturni.

in S. Lorenzo, e si messero in quel Cassone grande di porfido, che è nella detta Sagrestia entrando a man manca. Il corpo di Lorenzo, che era tutto intero con la vesta di panno bianco, e il berrettino di scarlatto in capo, era stato sepolto anni 75. Il corpo di Giuliano era tutto guasto. Veddesi la ferita ch'egli ebbe nella testa per la congiura de' Pazzi in S. Reparata nel 1478. *a* 2. (corrig. 26.) *d'Aprile, che era stato tagliato l'osso, e veddesi anco quella di Lorenzo nella gola, sebben era poca margine.*

Ne igitur in posterum huius rei memoria dilabatur, immo latius pateat, horum testimoniorum (1) firmitate, auctoritateque suffulti hanc qualemcumque inscriptionem, Ferdinando III. Magno Etruriae Duce benigne adnuente, in Sa-

(1) Haec testimonia Rondinellii scilicet et Lapinii allata a nobis fuere etiam in Opere nostro cui titulus: *Delle tre sontuose Cappelle Medicee ec. Fir.* 1813. pag. 104.

crario prope sepulcrum apponendam curavimus.

LAVRENTIVS. MEDICES · COGNOMENTO · MAGNIFICVS
PETRI · FILIVS · COSMI SENIORIS · NEPOS
LEONIS · $\overline{X}$ · S · P · PATER
HANC · IN · VRNAM · PORPHYRETICAM
ANAGLYPTICO · OPERE · EX · AERE · AB · ANDREA · VERROCCHIO
TAM · ELEGANTER · ORNATAM
QVAM · PATRI · PATRVOQVE · IOANNI · REGALI · SVMPTV
FIERI · VOLVIT
EX · HVMILI · IN · QVA · PRIMVM · CONDITVS · FVERAT
TRANSLATVS · EST · $\overline{III}$ · NON · IVN · AN · $\overline{M}$ · $\overline{D}$ · LIX ·
VNA · CVM · FRATRE · IVLIANO
IN · CONIVRATIONE · PACTIANA · INTEREMPTO
DOMINICVS · MORENIVS · BASILICAE · HVIVS · CANONICVS
VT · SEPVLCRVM · TANTI · VIRI · DIV · IGNOTVM
CERTIS · MONVMENTIS · NVPER · DETECTVM
POSTERIS · OMNIBVS · INNOTESCAT
FERDINANDO · $\overline{III}$ · M · E · D · BENIGNE · ADNVENTE
MARMOR · IMPENSA · SVA · P · C · ANN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{XX}$ ·

Severus Minervius Spoletanus Magnifico Laurentio Medici Secundo S. D.

Nequeuntes propriis telis signum sagittarii ferire, depromptis ex aliena pharetra sagittis id agere conantur. Sic ego, cui innumeras nominis tui laudes rudi, atque inani carmine non satis sunt ad prosequendum vires, alienis mecum ad hoc pariter laboribus intendam, ut quasi par multis sit opus, quod meis longe impar parvis viribus videtur. Fecique in hoc quemadmodum solent qui parietem aliena fidelia dealbant, Milonisque insania frui nolui, qui propriis nimium lacertis confidit. Potius quidem inter alios laudis tuae non inconcinnos sectatores futili loquacitate patiar detestari, quam excellentem in omni genere virtutem tuam, et maioribus omnino comparandam, solus frigide laudare velim. Quod non aliter evenire posset ob ingenii mei imbecillitatem, et candoris verborum ieiunitatem. Quibus cognitis samio mihi more tacendum persuasissem, ni segnis, et oscitans stans timuissem increpari. Dignum etenim videtur, ut quae mihi ante laborem a te otia conceduntur, non inculte penitus, nec sine aliquo alacri, et laudabili exercitio transeam, ne dum remissioni, et quieti corpus indulget, mens animusque hebescat, atque ut longo intervallo, armorum procellis fluctuante Italia, studia intermissa revo-

cem. Verum enim vero scio, quod quae mea sunt, tibi ridicula videbuntur, numeros enim mea verba non tenent: ea, quae de te recte sentio, eloqui non valeo, et assecutus sum potius quae mihi vis praestat, quam quae voluntas. Verum quod Aesopus non potest, Eurypylus potest. Eorum enim partem assequentur alii, qui poemation hoc tibi mecum ex consilii sententia dicari volunt; namque equos suos gravioribus stimulis excitant, nec deerit his artis, auctoritatis, et voluntatis ubertas. Quae omnia approbabuntur, si recte canentium comes laus est. Ea ne spreveris saltem, quaeso, transeundo, cum vacabit, inspicere. Parva quidem erunt, sed maiora alias dabuntur. E portu enim in tam vastum aequor egredientes, potius paulum remigare, quam statim vela facere decrevimus. Vale.

Severus Minervius
Ad Lectorem

Vt fortuna ducis non maior, quae ardet in armis,
  Quam quae grandisono vatis in ore sonat;
Inclyta gesta virum tenui sic carmine fiunt,
  Lector, nota minus, sic quoque vatis opus.
Sed tam clara nitent per se modo nomina Lauri,
  Quod qua nos, qua se, vim tueantur, habent.

CARMINA

IN LAVDEM

LAVRENTII MEDICIS



Madalius Corton. ad Severum Minervium
Praetorian. Milit. Praefectum
De donis ab Apolline
Lauro concessis.

Vis ubi non potuit, nec verba precantia, Daphnen
Flexere haec Clarii dona, Severe, Dei.
Invenit medicas soboles Latonia vires:
Hinc Medicis veniunt nomina clara domus.
Sex habet errantum rutilos Sol aureus orbes;
Sex Medicum hinc rutilis aurea scuta Pilis.
Ad citharam in medio Musarum cantat Apollo;
Hinc Medices praestant carmine, voce, manu.
Illustrat totum lampas Titania mundum,
Hinc Medicum toto fulget in orbe decus.
Qui redit in lucem, Phoebo sacer, unicus ales,
Gestamen Lauri cernitur esse novum.

Cynthius ingreditur quintili mense Leonem,
  Hinc Medices geminus Iulius, inde Leo.
Sub pastorali Laurum Sol arsit amictu,
  Pastorem hinc Medices urbis et orbis habent.
Cetera mitto: sat est Hyperionis orbe potiri
  Daphnen, et hac illum; stentque, meentque simul:
Cantent, praedicant, vatesque, ducesque coronent.
  O hac quam felix arbore Tuscus ager.

Barthol. Reguleus
de Magnifico Laurentio.

Spes erat in Lauro Lauri post funera semper:
  Mansit ut in sola virgine certa fides.
Sed modo cum surgat Lauri de germine Laurus
  Celsior, insurgit spes quoque nostra virens.
Si sperare datum tam longo tempore, tandem
  Spes eat, et Lauri sit mihi certa fides.

Severus Minervius de eodem.

Quisquis trans Indos phoenicem vivere credit,
  Errat; in aetrusco permanet ille solo,
Perpetuatque suam Lauri sub imagine vitam:
  Phoenix est hodie Laurus, ut ales erat.
Quis neget hoc? similis tempus monstratur in omne
  Laurus, et est Laurus, Laurus ut ante fuit;
Qui post exitium gaudet potuisse renasci:
  Continuata pari nam videt ora vice.

Vnicus est, nullumque viret moriturus in aevum,
Virtutis precium mors quia nulla rapit.
Moribus at renovat vitam, non igne, suumque
Fortuna, ingenio, nomine reddit avum.

Clemens Bancotius ad eumdem.

Nomen, Laure, tuum, cognomen, et inclita signa,
Temporibus nostris quantus es ipse, ferunt.
Laurus ut aeterno virides habet omine frondes,
Sic tu perpetuum munus honoris habes.
Vt nihil est medico mortali carius aegro;
Sic te nil patriae carius esse potest.
Aetatesque Pilae signant, quique aureus orbis
Aurea sub Lauro secla redisse notat.

Andreas Dapsius pro Lauro.

Fronde vetus posita, stratis cum stipite ramis,
Arebam Clario Laurus amata Deo.
Nunc iterum validis educta sub aethera truncis
Quae sim, quae fuerim, si petis: umbra fui.
Sic spolium tremulae phoenix exuta senectae
Maior odorati surgit ab igne rogi.

Ludovicus Alamannus de eodem.

Quae Lauri probitas, quae sit celeberrima virtus,
Quaeve magis viridi firma colore fides,

Non solum cunctis, eademque probantibus extat,
Iudicio sed enim fit manifesta Iovis,
Qui coelum, et terram, fraternaque tartara quercus
Esse prius dederat sub ditione suae.
Sed nota Lauri virtute, excidere quercum,
Et Laurum coelo tollere constituit.

Severus Minervius de eodem.

Forte inter superos Martem prospexit Apollo
Gestantem capiti Laurea serta suo.
Non tulit: unde tibi Mavors gestare coronam
Hanc, ait, impensum? dona aliena rapis.
Laurus sacra mihi: Laurus mihi convenit uni:
Fraxinus est manibus, et capiti apta tuo.
Non potuit Mavors animi compescere fluctus,
Dixit: erit Laurus ense tuenda mihi.
Vix quivit dextra Phoebus retinere sagittas,
Dicere sic gethicum vidit ubi ipse Deum.
Iuppiter ast placido, torquet quo sidera vultu,
Nati, iras, infit, ponite, et arma, mei.
Per me sit Laurus posthac communis utrique,
Non minus arma colit, quam colat ille Lyram.

Tanais Nerlius de eodem.

Alcides summis excessit viribus omnes,
Hunc tamen invictum vincere amor potuit.
Nullum numen adest fortuna maius in orbe:
Hanc tamen instabili mutat Apollo die.

Respondet cunctis audax Dea vocibus Echo:
Haec tamen irato muta Tonante manet.
Sed Laurum nec vicit amor, nec tempora mutant,
Nec terrent summi tela trisulca Iovis.

Antonius Nerlius de eodem.

Laurus ut Vrsina est merito de prole creatus:
De Medica est merito sic quoque gente satus.
Altera coelesti nomen deducit ab Vrsa,
Altera phoebea nomen ab arte trahit.
Spes maris illa, salus terrae haec, est Laurus utrumque:
Lauro igitur tellus serviat, atque fretum.

Donatus Iannoctius de eodem.

Dum populis Tuscis spectacula laeta pararet
Laurus Apollinei spes modo magna chori,
Pierides gethicis illum videre sub armis
Cornipedem miris exagitare modis.
Quem colere has artes quia Martis amore putarunt,
Implerunt querulis aethera carminibus.
Solatum accurrit moestas Iove nata sorores,
Nam nota huic tanti caussa doloris erat.
Lacrymulas cohibete Deae: non haec movet arma,
Saevus, ait, Mavors, casta Minerva movet.
Convenit Aonium nectar bene Pallados armis;
Ingenium quid, si stent procul arma, valet?
Hunc igitur iuvenem divae celebrate frequentes;
In quo Pierio iunximus arma melo.

Severus Minervius de eodem.

Diversas superum vires finxere poetae,
Implerunt geminos carminibusque polos.
Sed quod de natis mentitur musa Tonantis,
In Lauro praesens invenit historia.
Laurum maiestas, robur, sapientia, virtus
Cogeret esse Deum, si Deus esset homo.

Petrus Franciscus Portinarius ad eumdem.

Quam bene te Laurum magni dixere parentes,
Laurenti, Medicis grande decus generis.
Fronde viret Laurus: viridi tu flore iuventae.
Laurus olet: redolet nomen ubique tuum.
Fronde sacra vatum cinguntur tempora Lauri:
Vatibus ipse refers praemia digna sacris.
Illa duces bello insignes, laetosque triumphos:
Ipse armis claros, nec minus arma colis.
Postibus Augustis Laurus, templisque decora:
Ipse decus summi Pontificis solio.
Grata Deis Laurus, cui non gravis ira Tonantis:
Aspirant votis numina cuncta tuis.
Iure igitur divum celebrat Florentia Laurum,
Quae Lauro semper sospite tuta fuit.

Tanais Nerlius ad eumdem.

Quam bene phoebea deducis ab arbore nomen,
Laure, decus, patriae duxque, paterque tuae.

Non aestus, viridem non laedunt frigora Laurum:
Tu sortem immoto pectore utramque regis.
Dextra Iovis Lauro non officit: ira Tonantis
Nec tibi: iustitiam, fasque, piumque colis.
Illa duci, vatique decus: decus ipse canenti
Tu tibi: victori tu tibi, Laure, decus.

Christophorus Sernisius ad Magnificum Laurentium Medicem.

Tot tibi tot vates, Laure, excerpsere coronas,
Ut mihi restiteris iam modo truncus olens.
Quem si certatim Musarum vestibus ornant,
Forsan odorantis praemia truncus erit.

Alexius Lapaccinus ad eumdem.

Audierat toto celebrari Iuppiter orbe,
Laurenti, Clario nomina grata Deo:
Et mores laudare omnes, nullique secundas
Ingenii dotes, eloquiumque grave,
Inque bonas artes studium, iuvenileque robur,
Invictumque animum, munificasque manus
Audierat: Phoeboque tua haec te clarior, inquit,
Laurus erit: parcat huic modo Parca diu.
Cui Deus in Laurum ne truci ius esse sorori,
Quam tua non audent tangere tela, putas?

Tanais Nerlius ad eumdem de Vrso inter Leones.

Vrsum inter saevos illaesum habitare leones
Plebs admiratur, Laure, colique tuum.
Non timor in caussa est, nec nobilis ira leonum,
Quod soli in cavea parcat obesse sua.
Sed tuus est Vrsus: quid te pia corda virorum:
Vrsum te propter si fera bruta colunt?

Severi Minervii ode dicolos distrophos ad eumdem.

Septem sunt superum Deum,
Quae coelo rutilant, fulgida lumina:
Et sex sunt Medicae Pilae,
Princeps, signa tibi, quas puto sidera:
Harum numine septimo
Effulges numero: quasque cupis, vices
Divum reddere sic potes,
Ut par sideribus omnibus emices.
Nam dum consilium grave
Ostendis, puto te coeligenam senem.
Sic dum sceptra tenes, Iovem
Reddis, belligerum viribus et Deum.
Credet Cynthia Apollinem,
Oris si videat grande decus tui.
Solus mille modis refers,
Dum rides, Veneres, atque Cupidines.

Atlas, dum loqueris, suae
  Te Maiae poterit credere liberum.
Venatrix nemorum Dea
  Castis teque suis ornat honoribus.
Sis quodcumque tamen velis
  Numen: terra tibi serviet, et polus.

Antonius Nerlius ad eumdem.

Quam bene solaris nomen tibi praestitit arbos,
  Pro signoque geris quam bene solis avem,
Se renovat phoenix: renovas te, Laure: virebit
  Laus tua sic semper, Laurus ut usque viret.
Vtraque te dinga est, sacra Soli est utraque: coeli
  Sol decus est, nostri tu decus orbis ades.

Bartholomaeus Reguleus de Lauro.

Aemula si virtus mortales reddere divos
  Sola potest: Lauro quid modo iuncta suo?
Vera loquor, Superi, si fas est vincere divos;
  Mortales video vincere posse deos.

Gaspar Fighinensis de eodem

Vnica fertur avis proprio de funere rursus
  Vivere, ubi liquit putrida membra vetus.
Exuviis serpens positis, cervusque relictis
  Cornibus, a senio liber uterque viget.

Haec itidem Laurus, quam cernimus ultro vetustis
Ramis abiectis, pullulat hic iterum.
Florida namque viret, iuvenescens corticem avitum
Deposuit, secum suavia cuncta ferens.
Quam velut ira Iovis numquam tetigisse putatur:
Infestae Antiadis nec tetigisse queat.

Franciscus Zeffius ad Madalium de eodem.

Ludant Pierides Lauro, quas novit: Athenas
Ipse agerem glaucas Maevius alter aves.
Si vastum patet aequor, Apollinis utere velis:
Qui possis: nostrae nulla saburra rati est.
At mihi sint vires: non ludam: protinus essem
In re non dubia testis inutilior.
Quicquid ubique est terris, Oceanoque locorum,
Quae Medicum fuerit gloria, fama, videt.
Defuit his coelum, et coelum nunc additur illis:
Quid superest? vivat: vivet et omne decus.

Carolus Vivianus Ce l'ensis ad Severum Minervium de eodem.

Quam sapiat Laurus, patriaeque citetur amore,
Quam virtutis amans, gratus et ipse Deis:
Hoc docet, affectat dum, qui sit factus ad unguem,
Praesidium patriae, militiaeque Ducem:
Conveniunt Astraea, Fides, Mars, Pallas, Apollo,
Teque illi donis fulcte, Severe, dicant.

Iura, fides, ensis, sapientia, musa decorat
Te: sibi vult similes Laurus adesse viros.

Augustinus Faventinus Ord. Serv. de eodem.

Horruit augustam Laurum domus alta Latini,
Nomina Laurentes unde tulere viri.
Sublimes fausta decorant se fronde triumphi:
Fatidici hinc vates tempora cincta gerunt.
Est Clario dilecta Deo, dilecta Tonanti:
Tristis hiems sacris parcit obesse comis.
Seraque perpetuos indulgent secla nitores,
Mixtaque odore fovet dulcis amarities.
Sed nova muneribus praefert se gratia tantis,
Et cumulat cumulis dona superba suis,
Divus ab aethereo veniens Laurentius axe,
Dulcis amor terris, gloria sideribus,
Cognitus hesperiis, atque orae auditus eoae,
Mitis honos cuius tangit utrumque Polum.
Mortales superos meritis qui solus honestis
Alligat, obstringit, vincit, habet, retinet.
Nam quamvis magnum coelo terraeque teneri,
Multo homines maius vel meruisse Deos.

Madalius ad eumdem

Stans adeo vultu prae te fers, Laure, benignum:
Re nihil ut toto mite sit orbe magis.
Incedens adeo vestigia suavia ponis:
Re nihil ut toto suave sit orbe magis.

Laure, loquens adeo dulces das ore loquelas:
Re nihil ut toto dulce sit orbe magis.
Proditor est animi vultus, cor reddit apertum
Incessus: voces interiora notant.

Bart. Reguleus de eodem.

Nascitur etruscis Lauri de funere Laurus,
Et renovat ramos celsior ipse suos.
Hos tibi si renovat Laurus, Florentia; Laurum
Phoenicem merito dixeris esse tuam.

Severus Minervius de eodem.

Caesareis positam manibus si Baetica longis
Servavit Platanum Corduba temporibus,
Perpetuas Lauri speret Florentia frondes:
Mortales illum non posuere manus.

Clemens Bancotius de eodem.

Erravit quicumque sacro Florentia Lauro
Te patriam dixit, sis licet orbis honor.
Coelum illi est patria: at terris pietate Deorum
Concessus vitae norma, decusque viris.
Nota loquor; dedit huic Mars vires, nomen Apollo,
Virtutes Pallas, Iuppiter imperium.

Andreas Dapsius de eodem.

Nauta procelloso quisquis iactare profundo,
   Et tremis irati tela trisulca Iovis:
Concipe lustralis votiva piamina Lauri:
   Nescit Apollineas fulmen adire comas.

Basilius Lancillottus Ord. Serv. ad eumdem.

Siderei plures pertingere culmina coeli,
   Laure, tuas laudes, claraque gesta canunt.
Foecundis alii scripserunt carmina fibris,
   Et Mecoenati te posuere parem.
Affectu multi te tanto arsere clientes,
   Te velit ut votis quisque vocare suis.
Ast ego, divinas rudibus qui promere rhythmis
   Ingenii dotes expeto, Laure, tui,
Nil referam: de te mea plurima dicere vellet
   Musa; tamen de te diceret ipsa parum.

Severus Minervius de eodem.

Dicenti Laurum subito mihi rettulit aurum
   Echo, et habent voces omina saepe suae.
Aurum fortunae decus est: haec vim dedit auro;
   Aurum hominum vires, regna, Deumque movet.
Ex his certa fides si nobis danda loquelis:
   Laurus fortunae munera cuncta reget.

Madalius ad eumdem.

Primus ut aethereos Laurus migravit in orbes,
Pax, Astraea, Salus, Musae abiere polum.
Italiam hinc ferro, ac flammis vastavit Erinnys,
Vt Mars, furta, neces, barbariesque tulit.
Nunc digitum propior nobis extollit olympus:
Haec ut avi currant secla secunda tui.
Pacificus, iustus, nostroque salutifer orbi,
Et musis fultus, Laure secunde, redis.

Bart. Reguleus ad eumdem.

Inter mille viros titulis, et nomine claros,
Prospexi vultus non nisi, Laure, tuos.
Fulgebant adeo rutilantia lumina, quod tu
Texisti socios phoebus ut astra tuos.
Ingenio polles, tu pectore fortis, et armis,
Et bene coelesti numine cuncta regis.
Quod si nunc Medices videat tua singula Pastor:
Imperio vellet sceptra tenere tuo.

Severus Minervius ad eumdem
De titulo Semper.

Sola Deum semper mansura est aequa potestas:
Sola hominum virtus vivida semper erit.
Te nascente sacris titulis, hinc omine fausto
Ille tuus *Semper* scribere coepit avus.
Namque Deus genere e Medico tu, Laure, futurus;
Virtutisque tuae gloria semper erit.

Clemens Bancotius de eodem.

Dum cuperet divum natura immittere terris
Imperio, fama, moribus, ore virum:
Aethereas adiit sedes, superosque precata est,
Imperet ut sorti nobile semper opus.
Protulit hinc Laurum insignem: qui secla reportat
Aurea, iustitiam, fasque, piumque simul.

Tanais Nerlius ad eumdem.

Ut renovat serpens, ut se novat unicus ales,
Per te, Laure, tuus sic renovatur avus.
Qualis ab occiduis remeans sol aureus undis
Sidereum scandit pulcrior usque polum,
Talis, Laure, redis, nec dispar rebus avitis,
O vice quam felix alter ab alterius.

Antonius Nerlius ad eumdem.

Amphitrioniades domuit si monstra per orbem
Plurima, coelesti numine victor erat;
Pellaeus Persas si debellavit, et Indos
Tempore sub parvo, sidere victor erat.
Devicto insignes duxit si ex orbe triumphos
Caesar, Romano milite victor erat. (phans
Vincere se tamen hi haud potuere: at, Laure, trium-
Debellas te ipsum vi propria, atque domas.
Amphitrioniade, et Pellaeo, et Caesare maior
Diceris, et merito: quae facis, ipse facis.

Franciscus Zeſſius ad eumdem.

Cum peteret Spartas olim Venus aurea, mundum
Deposuit: vitreum nec tulit haec speculum.
Sic rotulam, celeremque pilam Rhamnusia liquit,
Cum voluit gremio ponere vela tuo.
Vt cum fortunam residentem pinxit Apelles,
Dicatur sortes, Laure, dedisse tuas.

Carolus Vivianus ad eumdem.

Sculpsit Pyrgoteles Pellaeum, pinxit Apelles:
Ecquis erit princeps? ille, vel ille tibi.

Idem ad eumdem.

Cum Phryga Virgilius, Peliden dicat Homerus,
Ecquis te dignum dicet utroque magis?

Vgolini Verini ad eumdem patriae nomine gratulantis Carmen.

Laurenti Medices, magni Laurentis imago,
Vera salus urbis, Lydi spes certa Leonis,
Suscipe collatas patriae florentis habenas.
Magnifice in portum tyrrhenam dirige navim,
Ne rapidae posthac trudant in saxa procellae.
Vt Medices rediere pii, Florentia per te
Sperat honoratam, et securam ducere pacem.
Oppida quae cepit, formidine reddidit hostis.

Pestiferum unanimes cives posuere furorem.
Arbiter, et iudex nascentes comprime lites
Ius cuicumque suum Medicum sapientia curet,
Vt detur: iustis merito tribuantur honores:
Allevietur onus pressis pro viribus aequum:
Nec sua prudentes, et doctos praemia fallant.
Officium est Medicum subiectis parcere: nulli
Sint impune mali: procul extirpare superbos.
Relligio, et probitas sub te rectore gubernet.
Sic tibi nullorum insidiae, nulla arma nocebunt.
Cur exempla petam? tua proles testis abunde est.
Magnanimus Cosmus (quo non sapientior alter)
Plurima Templa Deo toto construxit in orbe;
Syllanidum primus Medicum moderatus habenas,
Insignes quamvis alii de stirpe fuerunt:
Ipsa tamen Cosmi excessit sapientia cunctos.
Reges, atque Duces flexit quocumque volebat.
Frenavit Venetos sollers industria Cosmi,
Ne foret ipsorum suspecta potentia Tuscis.
Bissenis lustris rexit feliciter urbem
Progenies Medicum: paucorum expulsa furore,
In patriam rediit longe praestantior, annos
Post sedecim, populo laeto, et plaudente per urbem.
Venisti tandem, Soboles dilecta, nec ullum
Infestum quamvis civem iusta ira necavit.
Nec solum infensis inimicis illa pepercit:
Maiores sed enim solito congessit honores.
Extorresque omnes propter delicta recepit:
Est data per Medices plena indulgentia cunctis.
Et non immerito divina est sorte Sacerdos

Electus summus decus immortale Ioannes;
Vt nihil ad culmen patriae restaret honoris.
Speratur secura quies sub Praesule tanto:
Cum Patruoque tùo sub te rectore quiescet.
Exaltata diu cernet Florentia pacem.
Eia age concives tutere, et moribus omnes.
Hoc te, Laurenti, patriae pars optima poscit.

Eiusdem Ode dicolos tetrastrophos ad Musam.

I, pete audacter Medicum penates,
Clio: quid cessas? domus ista Musis
Hospita: haec doctis patet: et poetis
Semper aperta est.
Meque suscepit teneris sub annis
Patriae Cosmus pater, et Nepotes
Incliti vatem immeritum Verinum
Semper amarunt.
Vade, nunc Laurens regimen gubernat:
Cuius antistes patruus Ioannes
Est Leo summus decimus Sacerdos,
Gloria secli.
Iulios cum quo geminos patronos
Nunc habet felix patria, et camoenae.
Respuit nullum generosa proles
Iusta petentem.
Omnibus grata est, pia, larga, clemens;
Est bonis fautrix, studiosa doctis:
Iure nimirum Medices amarunt
Plebsque, Patresque.

Clemens Bancotius ad eumdem.

Praemia si Superi rebus tibi digna referrent:
Restarent, Laurens, praemia nulla Iovi.

Madalius ad eumdem.

Conveniunt fateor Phoenix, Pila, Laurus in omne
Tempus victuro spe, fide, more tibi.
Vnicus ardet enim Phoenix ut vivat in aevum:
Finis nulla Pilae est: Laurus et usque viret.
In cunctos tuus ardet amor, sidusque probaris:
Speinque serenato semper in ore foves.
Sed mage convenient, cum viceris unicus orbem,
Et fueris capiti Laurea tu ipse tuo. (dant,
Quamprimum hocigitur, Superi quem iure secun-
Vt mihi sis primus, Laure Secunde, sinas.

Severus Minervius ad eumdem.

Auctores pacis ramis ornantur olivae:
Haec inter Superos praemia Pallas habet.
His data, qui patriam servant, est querna corona,
Et summo summa est quercus amata Iovi.
Populeas qui monstra domat fert horrida frondes,
Herculeum munus populus esse solet.
Laurum victores, Laurum meruere poetae:
Est Laurus Martis, Pieridumque decus.
Sed tu, Laure, meres solus, quod plura Deorum
Numina: si meritis praemia danda tuis.

Tu Musas, tu bella colis, quia pacis amator:
Tu patriae pater es: tu fera monstra domas.

Bart. Reguleus ad eumdem.

Fortunae, atque animi, Medices, sunt corporis ampla
Dona Deum: magnus tot bona Laurus habes.
Non tamen haec servant magnorum gesta virorum,
Gloria nec longo tempore firma manet.
Musa quod es vatum, Medices, Laurentius alter;
Perpetuo clarum nomen in orbe dabit.

Clemens Bancotius de eodem.

Quo caruit Laurus, caruit natura decore:
At plus Laurus habet: hinc minus illa potest.

Tanais Nerlius ad eumdem.

Inter se placido concordia sidera vultu
Natali afflarunt, Laure, benigna tuo.
Cui gratum Venus alma decus, Cyllenius artes
Ingenuas, mores casta Diana probos,
Mars animum, et validas robusto in corpore vires,
Fasque piumque Tonans, consiliumque Senex,
Sol sceptrum, et nomen dedit immortale: quid ultra?
Vt redeant meritis aurea secla tuis.
Nec mirum: unanimi per te concordia coelo
Si fuit: ut per te regnet in orbe quies.

Antonius Nerlius ad eumdem.

Ignea curarum vario mihi fluctuat aestu
Mens: velut adversis flatibus acta ratis,
Vrget amor, prohibetque timor, te carmine tollam,
Laure, licet raro, vincet at ipse timor.
Aeneas meruit resonantia plectra Maronis:
Maeoniaeque Ithacus fila sonora lyrae.
Tu quid, Laure, meres; quo nec patientior alter,
Nec pietate unquam maior in orbe fuit.
Est opus aethereis favor instilletur ab oris,
Nam cum natura est nil tibi: facta probant.

Franciscus Zeffius ad Iunonem et Pallada de eodem.

Vestra iterum Lauro si stet sub iudice forma
(Tyndarida aspexit iudicium Paridis)
Huius erit rectum examen: non altera vestrum
Decipiet Venerem, nec Venus una duas.
Sortem habet hic dextra, virtus est subdita levae:
In sinu erit coniux pulcra, et honesta magis.

Carolus Vivianus de eodem.

Festa dies oritur: Superis ex ordine sacram
Rem facio: nullum sed mihi numen adest.
Sanguis in attonito dum friget, ab aethere nimbus
Labitur: et clausus qui veniebat, ait.

Sum Clarius; depone metum, rem disce salubrem:
A Superis hominum cura repulsa fuit.
Hanc Medicum genti summus mandavit olympus:
Sacra Leo, Laurus cetera cuncta regat.
Priscus ab igniferis rediit Laurentius astris,
Vt capiat requiem terra, fretumque parem.

Madalius ad eumdem.

Argolicis Hlyce, Tyriis Cynosura, sed astrum,
Laure, tuum cunctis imperat aequoribus.

Severus Minervius Florentiam alloquitur.

Vrbs, quae nubiferas inspectas desuper alpes,
Quae regis Etrusci sceptra superba soli,
Nomine quae fueras certo ante Fluentia dicta,
Iuxta Arni posita es namque fluentis aquas;
Tu modo nomen habes, quo vernat pulcrior annus:
Natum cum violis, purpureisque rosis.
Diceris a cunctis Florentia: nomine flores:
Sunt quoniam flores tu modo quidquid habes.
Evenit hoc Lauri sub tegmine, facta beata
Cuius felici es nominis auspicio.
Dumque viret Laurus, florens, Florentia, fama es,
Ingeniis, opibus, pace, piisque viris.

Antonius Nerlius ad Magnum Laurentium Medicen.

Laurum, Laure, colunt, extollit, protegit, ardet,
Pierides, Mavors, Iuppiter, et Clarius.
Ex Lauro Aonides illi statuere coronam,
Qui tua gesta, ut sunt carmine digna, canat.
Inseruit Mavors de te tibi, Laure, coronam,
Et merito, Tusco Mars es in orbe novus.
Vt servat Laurum Altitonans a fulmine: sic te
Servat ab his, qui animo, voceque, reque nocent.
Nomen in aeternum Phoebo praestante virebit,
Laure, tuum: Phoebo Laurus ut usque viret.
Felix tot sacro natus sub numine divum,
Nos magis at sub te, numinibusque tuis.

Severi Minervii Ode Dicolos Tetrastrophos in qua Phoebus Laurum alloquitur.

O meos numquam miserata questus,
Fronde quae Daphnes rutilos capillos
Condis, et frontis nitidae decorem
Cortice Laurus.
Vnde tu sacro capiti dicata es,
Tu ducum, et vatum decus es triumphis,
Martis, et Musae merito et labori
Praemia reddis.
Tu paras per me virides coronas;
Tu decus sola es nemorum, et locorum,

Te Iovis summi manus a trisulco
Fulmine servat.
Ista mutata tibi sed figura
Ante, dum silvis fueram, dabantur;
Nunc tibi e coelo meliora per me
Munera dantur.
Dextera ut vires medicas habebam;
Sic tuam prolem Medicam vocavi;
Quae feret regnis Italis salutem,
Praesidiumque.
Vt meis fulget radiis Olympus,
Sic tuae lucet decus orbe famae.
Sex Pilae tecum rutilant, ut orbes
Sex modo mecum.
Vt mihi fulvi solium Leonis
Lucidum sidus solet esse coelo,
Sic tibi terris Leo Sidus exstat
Numine sacro.
Ales in lucem meus est, per ignes
Qui redit ramos cumulans Sabaeos:
Hic tua nec non sacer in decora
Cernitur aede.
Munerum dum te cumulo, atque honorum
Viribus cunctis sequor: unde sumam
Iam novas partes? mea cuncta tecum
Esse videntur.
Illud es, quod sum: paribusque flammis
Iam micas: coelo sata vive: vivat
Vt decus divum simul omne, virtus,
Spesque virorum.

Alexandri Rosselli Hymnus.

O piae mentes hominum, et Deorum,
Chloris ex iussu radiantis almi
Solis indico sacra, pullulante
Daphnide trunco.
Quem Medusaei tenet unda fontis,
Quive iam nectar sitit hippocrenes,
Quem triumphales decorant coronae,
Huc eat omnis.
Huc eat quisquis pavidus Tonantis,
Et timens fulmen Jovis: hac sub umbra
Non cadit summi gravis ira coeli
Supplice Phoebo.
Cum pater poscit, pater alme, Laurus
Tuta florescat, vireatque semper;
Nec sit immitis tua dextra Lauro
Diviparenti.
Te rogat Cadmi soror, et gemellis
Quae fuit mater: genitor precanti
Filio cessit, voluitque Phoebo
Vivere Laurum.
Fronde vernanti redimite tempus
Coelites, fratri pharetrata virgo
Evoca cunctas Dryadum sorores
Ad sacra Lauri.
Ecce Musarum chorus, inde Phoebus
Frondibus Daphnes cumulatus, euge
Ipsa cantabor pia Flora: Laurus
Vivit in aevum.

Antonius Nerlius ad Mag. Laurentium Medicem.

Haec tibi se dedit urbs: ceu victa furentibus austris,
Et rectore carens, in mare fracta ratis,
Se dans prudenti nautae, expertoque regendam,
Vt scopulo, ut syrti, ut tuta sit illa noto.
Te duce de scopulo, de syrti, deque procella
Eruitur, placido perfruiturque mari.
Vnde tibi ac merito cognomina plurima soli
Lydius etrusca praestat in orbe Leo. (nignum,
Miles magnanimum, aequum plebs,proceresque be-
Pacificum populus te vocat, et fruitur.

Severus Minervius de eodem

Sors paucis, paucis virtus datur, utraque Lauro est;
Laurus habet, nullis quod simul ante datum.

Bart. Reguleus ad eumdem.

Immunis fueram Laurentis munere primi,
Ius mihi natorum quod dedit ille trium.
Quod placuit primo, placeat tibi, Laure, secundo;
Hoc mihi si dederis: tu mihi primus eris.

Tanais Nerlius ad eumdem.

Expectata diu praestans spectacula, arenam
Dum Leo per totam, Laure, superbus agit;

Arx, testudo, canes, taurus sibi spretus, et ursus
  Solus in armatos impetus ire fuit.
Te tamen inspecto totam compescuit iram,
  Qui sis, Laure, trucis nos monet ira ferae.

Antonius Nerlius ad eumdem.

Cur Deus Aeneas? Ithacus? Tyrinthius heros?
  Hic fortis, patiens illeque, et ille pius.
Fortior at quis te? Quis te patientior alter?
  Te pius in toto quis fuit orbe magis?
Laure, igitur tribus his tu solus maior haberis,
  Tu trinum trino numine numen habes.

Severus Minervius ad eumdem.

Dum satus Anchisa petiit stagna alta profundae
  Noctis, pallentes atque domos herebi:
Ilicis auricomae ramum de stipite sumpsit,
  In lucem posset quo revocare gradus.
Cum tamen hoc illi vates Amphrysia iussit,
  Non norat ramos illa, vel ille tuos.
Quisque redire potest vacui de limine averni
  Non solum his, clari at tecta subire poli.

Carolus Vivianus de eodem.

Dum cano Magnificum, Laurum vir percipit omnis:
  Quis maiora facit? quis meliora facit?

Franciscus Zeffius ad eumdem.

Pierides Phoebum de couiuge plura rogantes,
Laure, tua ; sortes has didicere tori.
Nobilis Icarius Polycastam duxit honestam ,
Prudenti Anchisae pulcra Venus subiit.
Et Peleus rex ipse potens Chironida sumpsit ,
Quam suus imbuerat artibus ante parens .
Virgo clam lecta est Lauro sata sanguine Regum,
Moribus haec, forma, praestat et ingeuio.
Nobilitas Medicum, Lauri prudentia, vires,
Hos superant; merito sors erit una trium.

Carolus Vivianus ad eumdem.

Quis neget in varias Acheloum vertere formas
Se potuisse? Potes tu quoque cuncta potens.
Fis Cato, dum sacri conscendis rostra Senatus ,
Et cusa in valido pectore verba facis .
Dum capis arma ferox, vel equum calcaribus urges ,
Aeaciden populus te canit esse tuus.
Singula ne memorem, post tot nova corpora , felix
Se quibus extollit patria, Phoebus ades.

Laurentius Ripomarancius de eodem.

Forte quiescebam extrema sub nocte, canentem
Dum Phoebum haec labris sentio inesse meis.

Laetitiae incumbat felix oenotria pubes,
Et sua vota Deis nunc opulenta ferat.
Venit ab aetherea Laurentius arce Secundus,
Vera quidem Medicum gloria, verus honor.
Hoc duce iura dabit longo his quos Nereus ambit
Anfractu, domini sic statuere Dei.
Huic feret arctos iners, gelidi septemque triones
Ampla tributa suo regna subacta duci.
Et tenebrae pariter, lucisque aequator amoenae,
Oraque solaris tosta calore rotae,
Et qui primus ovans radiantis lampada Phoebi,
Quique sub occiduo mergier axe videt.
Dixerat excusso ostendens rata signa futuri,
Sub meo enim Lauri vertice ramus erat.

Antonius Nerlius ad eumdem.

Bis genitum Thebae, Mavortem Thracia, Phoebum
Delos, Creta Jovem, te tua Flora colit.

Tanais Nerlius de eodem.

Vt sapiens, fortis, pulcher sibi Dux foret, olim
Ad Dominum populus fudit apella preces.
Cum foret ast uni nimis hoc, et tanta decerent
Dona Deum, Dominus tradidit illa tribus.
Hinc Salomon sapiens, invicto hinc robore Samson,
Absalon hinc forma splendidiore fuit.
At Lauro, dum poscit idem Florentia supplex,
Juppiter impendit, quod dedit ante tribus.

Madalius ad Severum Minervium.

Qui geminam sequeris cognomine,reque Minervam,
Quem Lauro gratum Mars, et Apollo dedit;
Re facilis, duro nomen cum Marte parumper
Deponens, numeris ede, Severe, precor.
Pastorem cur Laurus adit, si fugerat olim?
Quem timuit, Phoebi cur petit illa domum?

Severi Minervii ad Magnificum Laurentium Medicem ad Leonem Pont. Max. accedentem. Carmen elegum.

Ibis ad ora sacri comitatus, Laure, Leonis
Ominibus faustis, numinibusque Deum.
Ibis, et insignes repetens virtute parentes,
Ostendes, quantus sit tibi in ore decor.
Carminibus te nos, animisque sequemur euntem,
Spesque, Fidesque tuum nostra sequetur opus.
Te Fortuna comes dextro pede laeta sequetur,
Ipsa dabit vires, ipsa docebit iter.
Hac duce possedit Nephelaei vellera Phryxi
Aesonides: domuit monstra, fretumque tumens.
Hac duce Pellaeus iuvenis per Bactra, per Indos,
Per Scythiam, et Phasim signa, virosque tulit.
Hac duce Romano Caesar tot barbara tela,
Tot regna, et populos subdidit imperio.
Hac duce Carpathia pauper mercator in unda
Fit dives: pelagi non timet ipsa minas:

Hac duce purpureos humili de gente tyrannos
  Cernimus: haec homines sola, deosque regit.
Haec tibi divitias, haec regna, haec sceptra paravit,
  Haec quo te ducet, dirige, Laure, pedem.
Tu Latias tendes, Veneris ceu natus, ad oras
  Hac duce, cum fatis, auspicioque Jovis.
Altera continget tibi nunc Lavinia coniux;
  Principis Ausoniae quaeque futura parens.
Jam taedas, Hymenaee, paras: iam sacra beatae
  E coelo laetus virginis ora vides.
Felix Laurus eris; longe at felicior illa:
  Continget niveo quae tibi, Laure, sinu:
Felix, quae sancto se se tibi iunget amore,
  Et quae te faciet nupta puella virum.
Non frondens hedera sic stringitur aesculus: illi
  Sicut te dulci stringet amore fides.
Nam dotata tibi veniet virtutis honore,
  Viribus, ingenio, nobilitate, et ope.
Sanguine Scipiadum non se Cornelia iactet,
  Non Libycis opibus, nam tua maior erit.
Aurea non rutilis iactet se Aurora quadrigis:
  Tigribus, aut sertis non Ariadna suis.
Non se munditiis Hebe, Hermioneque nitore,
  Aemonio non se Laodamia viro.
Non se Penelope servati iure pudoris,
  Non sacra Evadne laude pudicitiae.
Non se Tyndarides (*sic*) formae praeponat honore:
  Ante omnes omni dote ferenda tua est.
Hoc tua me virtus, hoc spes mea dicere cogit,
  Auspicium thalamis, hoc meus optat amor:

Addent cui Superi quam plurima: sic mea vota,
Sic merita, et mores promeruere tui.
Sic Patruus de te statuit tuus: ille ministrat
Ecclesiae, et fidei numen, et orbis opes.
Ille regit Medica populos pietate, tuetur
Justitia pacem, viribus Imperium.
Et quia magnanimis domuit virtutibus hostes,
Ex meritis nomen, vimque Leonis habet.
Ad quem tende citus; namque annuit, ire iuvabit,
Dum te avidus votis optat adesse suis.
Quid, nisi plaudentes reditus sperare secundos
Possumus? ipsa parat Sorsque, Venusque viam.
Magnificum, et faustum gaudens te Roma videbit:
Maiorem nobis reddet et haec titulis.
Auxit ut Assaraci deductam ab origine gentem:
Sic te, sic Medicum tollet in astra genus.
I felix, felix redeas, teque aura sequatur,
Atque tuum Zephyrus perdominetur iter.
Sint sine nube dies, taceant et corus, et auster,
Ipse mei ut possis ire, redire memor.

Bart. Reguleus Pro Republ. Florentina Ad Leonem X. Pont. Max.

Sancte Pater, placeat patriae iam reddere Laurum,
Sorte datum fasces hunc tenuisse meos.
Redde, precor, Laurum, rogat hoc Florentia supplex:
Sub Lauro cives fulmina nulla timent.
Sola domus queritur: queritur via lata: per Vrbem
Quisque silet: Laurum vel sibi quisque rogat.

Quid mirum, Lauri reditum si quisque precatur?
Cum sine sunt Lauro, sunt sine sole dies.
Templa micant Lauro: Lauro domus alta refulget,
Et Lauro semper limina laeta virent.
Ipse triumphator cingit sua tempora Lauro:
Et Lauro vatum tempora sacra micant.
Adde quod et Lauro gaudet formosus Apollo:
Et Lauro salubres lustrat in urbe dies.
Redde, Pater, Laurum: quid gaudia nostra moraris?
Sunt mea, sunt Medica sceptra tenenda manu.
Quod tibi si Laurum, placeat concedere Iulum:
In patriam vel tu Pastor ab urbe veni.
Florida sum tellus, totum celebrata per orbem:
Stella decet nostrum de tribus una caput.

Severi Miner. ad Magn. Laur. Sylva

Clarior Arne potes, rapidisque superbior undis
Tyrrheni undisonum pelagi prorumpere littus.
Te tua laeta magis Florentia suscipit aucta
Iampridem virtute virum, superumque favore,
Maior et auspicio Laurentis facta Secundi.
De quo se magnum profert mihi laudibus aequor
Innumeris: faveas conanti pulcher Apollo:
Inceptisque meis inspires numine dextro.
Annue tuque tuae, Medices, nova gloria gentis
Magnum, Laure, meis, et dulce furoribus oestrum.
Vnde tamen magnae sumam primordia laudis?
Non proavi, patrisque tui pia gesta revolvam:
Qui immortale gerunt, fixumque in sidera nomen.

Non ego te teneris cupio deducere ab annis:
Sudandum mibi nempe tuae sub flore inventae.
Sed quae vernantis dicetur gloria formae,
Cum sit tot rutilis coeli fulgentior astris?
Numen in ore geris, maiestatemque verendam,
Atque serenatae divinos frontis honores.
Martis opus, bellumque ferox regina decore
Victa tuo, Hippolyte, sprevisset: grataque tecum,
Et nova contempta gessisset praelia Zona.
Te te Laeda suum mallet quam Castora natum.
Te proprio spumosa Thetis praeferret Achilli.
Quid vero alipedes dum crinibus ire superbos
Efficis, et veros emittere naribus ignes:
Praeteriisse vagas rapidis et cursibus auras?
Non sic aequoreis domitor Messapus arenis
Acer agebat equos Neptuno adstante frementes.
Te non Aeaciden Xanthus sua frena regentem
Optasset; dominum mallet te Cyllarus: omnes
Nereidumque choros pro te contemnet Arion.
Te portare suis contempto Pegasus alis
Bellerophonte cupit: sub te sudaret et Aethon
Laetior Aurorae flammis, curruque relicto.
Quid, quod grata tibi turpi non ocia luxu:
Non animis illapsa tuis est caeca voluptas?
Mansurae accendit famae te gloria tantum:
Vnde tibi armorum studiis mens ardua adhaeret.
Sed Patruus tua vota potens, divusque periclis
Tot modo divertit meliora ad iura reservans.
Quem non arma decent: frenat dum legibus orbem:
Late orbis dumque esse cupit sine sanguine victor:

Et dum pace regit tantarum pondera rerum:
Ipse tibi dulces patriae commendat habenas:
Teque docet sanctos regnandi in secula mores.
Felices populi, quibus est cognomen etrusci:
Ducite securam tanto sub principe vitam.
Cui dedit aequa suum clementia pectore numen:
Quem modo cana fides meritis ascendere coelum,
Et superos aequare facit, iustique potestas.
Quem tolerare docet patientia dura labores:
Consilio praesaga gravi prudentia longe
Instruit: atque modum monstrat, quo casta regantur,
Temperies: stabilemque animum constantia firmat.
Quemque auri non sacra fames, non pascit honorum
Ambitio: attollit non ulla superbia: rebus
Quae comes una viris solet altior ire secundis.
Moribus his equidem solio fortuna superbo
Deiecta, ante tuos humili sic voce locuta est,
Laurens, moesta pedes lacrymisque rigantibus ora.
Illa ego terrarum domina, et regina profundi,
Et tantum fortuna potens, quae singula nuper
Instabili ratione rotae, seu sorte regebam: (mebam,
Quae manibus coelum, pedibusque elementa pre-
Et quae certa loco poteram consistere nullo
Ante: hominum manibus ne invita tenerer avaris:
Quaeque gradu potui mortales tollere ab imo:
Vertere sorte animos tristi, mentesque superbas:
Me prece sollicita pauper, divesque petebat:
Divam me reges, gentesque, urbesque vocabant,
Et mea purpurei metuebant sceptra tyranni,
Nunc propriis deiecta rotis volventibus, alto

Pellor ab officio: mihi virtus subripit axem.
Quae mecum imparibus quondam certare solebat
Viribus: errabat titulis mendicaque parvis:
Victa prius, victrix facta est, et cuncta ministrat.
Vendicat omne meum sibi ius, mihi nulla potestas,
Seu parva est: celeres non possum vertere currus:
Ingentemque rotam, postquam tua nomina culmen
Aetheris attingunt· stitit axem vivida virtus:
Firmatumque dedit clavis, ne volvere possim.
Evenit et morum hoc merito mihi, dive, tuorum.
Sed postquam sic fata deum, sic numina poscunt:
Sub pedibus da posse tuis me vivere tutam.
Talia tu contra: non speres noxia fraudes
Exercere tuas ultro, non crimina posse,
Non odisse bonos, non tollere in astra nocentes
Vlla vi poteris: manibus non sceptra tenebis:
Sed scelerum poenas patieris dira tuorum.
Sic fatus stygias illam detrudis ad umbras:
Atque herebi diris sociandam pestibus addis,
Dignius ut rapidi currus moderentur habenae.
Sed dum sic solio socia virtute recumbis,
Fortunaeque vicem meliori iure gubernas:
Aonides stantes te circum examine denso
Dulcia pulsabant alterno pollice fila:
Carminibusque tui celebrabant dona triumphi.
Quarum quae Iovis est proles, studioque canendi
Maxima, sic fatur: placidae quae carmine Musae
Mecum grandisono Laurum super astra locatis:
Scitis quod coelo nullum modo numen habemus
Quod faveat, nostroque velit gratum esse labori.

Namque suis noster numeris mendicat Apollo:
Contemnitque Lyram contemptus principe ab omni.
Terrenum nobis fas sit iam quaerere numen:
Sub quo nostra chelys sonitu graviore resurgat.
Quis modo ni Laurus, nobis pro numine habendus:
Qui quondam nostris parvus reptavit in antris:
Pulcraque Cyrrhaeis exercuit ocia sylvis?
Annua nos illi statuamus festa, coronas
Daphnaeas, viridique aras de fronde dicemus.
Felices erimus, nostrumque Helicona beatum
Cernemus, laeta nemus atque assurgere fronde,
Largius et sacrum dulci fluere unda Aganippeu.
Dixit; et huic omnes gratae assensere sorores.
Teque per Aonios simul hae duxere recessus.
Detinuere vagis ubi te solatia curis,
Donec nubiferas quae inspectat desuper alpes,
Floribus ornatum variis caput extulit Arno:
Et te Florentes gaudens revocavit ad oras
Arneidum comitata choro Florentia: ridet
Perpetuo dum vere: virum quia Flore, nurumque
Vernat: et ingeniis, opibusque et nomine Floret.
Auget cuncta magis tua quae praesentia: Patrem
Te Patriae poterunt servati dicere cives.
Tempora virtutum per te foecunda redibunt:
Ingeniis dabit alta viam tua gloria; felix
Per te erit haec regio, et magnis diis gratior ora.
Per te sudabunt praeciosae hic balsama venae:
Per te hic mella fluent: omnes aurataque plantae
Per te poma ferent: per te pia signa tuorum
Aurea secla Pilae ducent: te auctore resurgent

Nomina maiorum, pulcra et cum pace triumphi.
Per te tuscus ager iamque itala regna tenebit:
Vicinumque illi iam serviet aequor utrumque.
Vive diu, amplexus accedat regia coniux
Inque tuos: pulcra et faciat te prole beatum.
Et tua pro meritis nunc sidera fata secundent:
Seraque perpetuis addant te numina fastis.

Madalius ad Magnificum Laurentium Medicem in Severi Minervii Eclogam.

Magnanimum Atriden coelo tollebat Achilles
Versibus, a castris dum procul hostis erat.
Et Laertiades pastor tendebat in urbem,
Exploraturus quicquid in hoste foret.
Quam bene dum bello cessatur, Laure, Severus
Carminibus laudes tollit in astra tuas,
Pastoremque refert tanta sollertia, et arte:
Vt cithara, ut calamis reddat utrumque tibi.

Severi Minervii Ecloga Quae inscribitur Laurus.

Et Laurus sylvis, et Lauri numine sylvae
Gaudent, sylvestres liceat percurrere dumos,
Pastorumque humili praecludere gaudia cantu.
Non superis semper coelum, et mortalibus urbes
Gratae: etiam sylvas coelestia numina curant.
Sub pastorali Phoebus descendit amictu,

Nec sprevit tenui componere carmen avena.
Vnde tibi aeternum nomen Peneia Virgo,
Quae viridi vatum serpis per tempora fronde: (nos,
Quaeque facis tutum nemus hoc,nemorisque colo-
Et tutos errare greges: nam Lydius illis
Pan Medica de gente satus nunc ocia praestat:
Cui numen, nomenqe dedit formosus Apollo.
Vnde mihi Lauri veniant ad carmina Musae.

Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Qui calamis, vocumque valet discrimine: Pastor
Laetior assurgat mecum: respondeat Echo:
Et nostrae postrema ferat vestigia vocis.
Carmina non laedant crepitantes nostra cicadae:
Nec querulis ululae rumpant ululatibus auras.
Dumque humiles repetit gracilis mea fistula versus:
Avia responsent nemora, et cava saxa canenti.

Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Non metuant armenta lupos: colat ocia pastor:
Aurato pictos iunco variare canistros
Gaudeat, et cerasi de cortice texere Zonas:
Sive leves flava calamos componere caera:
Sylvestre aut tenui meditetur arundine carmen:
Aut suaves nymphas, et dulces cantet amores:
Seu canat heroas divi Laurentis alumnos.

Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Aurea coelesti venerunt ordine secla.
Ecce albos menses, et magnos cernimus annos.
Felices quicumque vident haec tempora, felix
Armenti genus omne satum florentibus annis.
Cui modo sidereo favor instillatur ab axe.

Perpetuo quia vere virens est lydia tellus,
Atque ovibus vernat laetis, oviumque magistris.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Terra venenosis viridans non pullulat herbis:
Serpillum, atque apium, ridens et fundit acanthum:
Implent irriguas valles colocasia, anethum
Aerios montes, sterilis satureia saltus.
Et quae rore madent diversa hic gramina tellus
Praebet? non desunt hic pinguia pabula: Lauri
Attamen Assyrio pecudes pascentur amomo.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
En nobis virgulta omnis iam parturit arbor:
Frondentisque hederae virides dat planta corymbos.
Dant arbusta suos ultro frondentia ramos:
Et cytisum, et lentas salices, mollesque myricas
Cernimus, et pingues gravia ubera ferre capellas.
Sponte sua crebro ad mulctram cogetur ovile:
Et cava fumabunt niveo mulctralia lacte.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Nunc laetas terris fruges, nunc poma videmus
Matura arboreis ramis pendere: legenda
Arbuta nunc, nunc arte satae certantia plantae
Mala auro, vel dulce pirum, vel praecoqua praebent.
Castaneis, sorbis, nucibus, milio, atque lupino
Quis satur esse nequit pastor, pinguique sagina?
Attamen ambrosiae Laurus vult nectare pasci.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Dant dulces Zephyro volucres spirante loquelas,
Componuntque inter frondes, dumetaque nidos:
Inveniunt passim hos pueri, foetusque tuentur.

Quaeque modo asparagis, fungis, fragrisque legendis
Est operosa manus iuvenum, perque avia tendit,
Intexitque vagos diversa fronde galeros,
Sive ornat duris insignia tempora echinis.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
En celebres auro sutis, pictisque cothurnis
Florentes nymphae calathis violasque; rosasque
Spargunt, et placidi redolentia munera veris:
Teque, Hyacinthe, ferunt, et te, Narcisse, pharetris.
Hae quoque cum niveis vaccinia nigra ligustris,
Puniceoque croco candentia lilia miscent,
Quaeque aurum referunt, et sunt tua lilia, Laure.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Nunc sua pastores exercent ludicra tusci.
Hic saltus agitare cupit, cupit ille palaestram:
Alter amat calamos inflare, agitare choreas
Alter; ad haec laeti veniunt spectacula Fauni,
Et socias ducunt Dryades Satyri arte procaces,
Nec non Sylvani hirsuti, horripilique Lycaei,
Cunctaque montanis accedunt numina ab oris.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Nunc Crotale formosa suas nudare papillas,
Candidulos Donace velit, et Lepidina lacertos.
Thestylis ipsa sinus niveos, et pectus Iola;
Se totam Galatea suo, nam lactea tota est,
Pastori ostendat: sic se Chrysis, atque Lycoris.
Sit mitis posito fastu lasciva Neaera.
Arneidum princeps Lauro sit Flora benigna.
Dicite Laurigerae nova carmina, dicite Divae.
Conveniant Corydon, Damon, Meliboeus, Amyntas,

Alphesiboeus, Anas, Damoetas, Myrtilus, Alcon,
Monychus, Alphus, Apicius, Ornithus, Astacus, Idas
Cum Stymichone Macron, Thyrsis, Montanus,
Amyclas;
Cum Mopso Therapon, Lycidas, Sylvanus, Alexis,
Bactracus, et Myrmix, et Tityrus, atque Palaemon:
Aeternum et Lauri tollant ad sidera nomen.
Claudite Laurigerae iam carmina, claudite Divae.
Hactenus Aoniae sylvas cecinisse sorores
Sit satis, et Lauri faustis lusisse sub annis,
Arcadiae cedant cui tantum numina Panis,
Quantum lenta salix alno, saliunca cupresso,
Et quantum ramis ilex pallentis olivae.
Pastores, festis vos hunc celebrate diebus;
Aras huic viridi statuatis fronde quotannis;
Vestra et odorata fument altaria messe,
Vt vivat longum, ceu serpens, Laurus in aevum,
Vivaces superet cervi, cornicis et annos.
Tu mea, quae gracili strepuisti, fistula, cantu,
Quae labris, digitisque meis non parva voluptas,
Pendebis sacri mansura in stipite Lauri,
Digna alio pastore coli, quem Musa secundet.
Ipse tuos posthac calamos non turpiter ausim
Indocta tractare manu; dum muta manebis
Sola tuo Lauri recolantur nomina sensu.
Dum numeris multo fueris animata canentis
Spiritu ab alterius, Laurum cantare memento.
Inflabunt Zephyri dum te, vel flatibus Euri,
Fac Laurum Zephyris, atque Euris carmine notum.
Nam deus ille mihi, gratum tibi numen et ille est.

Carolus Aldobrandus
Laurentio Medici.
S.

Erat Achillis illius Homerici, Magnif. ac Claris. Laurenti Medices, quo tempore apud Troiam ociosus inani se terram pondere premere dolebat, unicum hoc, atque iucundissimum studium, ut quae ceteri interea Duces in bello strenue egissent, ea ipse carminibus illustraret. Fiebat hoc ex antiqua veterum religione, qui Palladen bello simul, et paci, et cunctis bonis artibus praefecerunt. Id ipsum tibi Severus Minervius, homo, ut scis, non minus doctus quam strenuus, praestare conatus, hoc ipso tempore alioqui ociosus ex variis Musarum lucis *Lauretum* congessit. Quod quidem non frondibus, aut baccis, sed multis tuarum laudum praeconiis perpetuo vireat, sitque aeternum cum ingenii, fideique suae; tum vero amplitudinis tuae, ac gloriae posteris monumentum, quod nec Iovis ira, nec ignes, nec edax abolere possit vetustas. Quod hominis consilium ipse admiratus, inhumanus sim, et erga Musas ingratus, si hac brevi epistola et rem, et hominem tibi minus pro meritis commendaverim. Sunt profecto in opusculo multa admodum lepide conscripta, pleraque ingeniose, nonnulla graviter, omnia vere: nec dubito placiturum legentibus, si tuo praesertim auspicio prodibit in publicum. Vale, Patrone Optime, tuosque Minervium, et Aldobrandum tui nominis studiosos, benigno felicitatis sinu exceptos felix complectere.

Severus Minervius
Ad eumdem.

Ardentes crepitu Laurus velut abdicat ignes;
 Vt Iovis irati fulmina nulla timet;
Defendat nostros sic tecum, Laure, labores:
 Non poterunt homines, quod nequit ira Deum.





